



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput II. De libertate Actuum humanorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## CAPUT II.

*De Libertate ad Actum Humanum.*

**L**ibertas ut sic, sive essentialis nil est aliud, quam voluntas ex pravia directione rationis spontaneè se movens, & agens.

1. Utrum ad essentiam libertatis pertineat posse peccare?
  - R. Neg. Quia Christus in via liber fuit, & tamen peccare non potuit. *Deus ipse, nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Aug.
2. An ad essentiam libertatis pertineat posse agere & non agere?
  - R. Neg. Unde cum libertate *in genere* simul stat agendi necessitas, quia Christus in terra fuit liber, & simul inpeccabilis. Hæc tamen intellige de libertate *in genere*, prout ab hac vel ista libertate in speciali abstrahit; aliàs siquidem clarum est, neminem posse mereri, vel demereri, nisi per actionem, quæ sit in ejus potestate, & quam ponere possit, & non ponere.
3. Quomodo dividitur libertas in genere?
  - R. *In purè essentialem, & accidentalem. Purè essentialis, juxta S. Prosperum, est rei sibi placitæ spontaneus appetitus. Accidentalis est illa; quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere.*
4. Quomodo libertas accidentalis aliter vocatur, & quomodo dividitur?

4. Aliter appellatur *libertas contingentia*, & *indifferentia*: & dividi solet in libertatem *contrarietatis*, & *contradictionis*.

*Libertas contrarietatis*, sive quo ad speciem actus est illa, quæ indifferentiam tribuit ad eligendum alterum ex duobus actibus specie distinctis, V.G. ad amandum, vel odio habendum.

*Libertas contradictionis* est, quæ potestatem relinquit eligendi alterutrum contradictorium, qualia sunt *agere*, & *non agere*.

5. Quæ libertas requiritur ad merendum, & demerendum?

4. Ad merendum, & demerendum (seclusis extrinsecis) requiritur libertas contradictionis, & non sufficit libertas essentialis. Constat ex Janseniana 3. damnata: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit à coactione*. De qua Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. sic loquuntur: *Hereticam declaramus, & ut talem damnamus*. Proinde S. Aug. lib. de duabus animabus ita definit peccatum: *Voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere*.

6. An obdurati gaudeant, urgente præcepto supernaturali, quod sine gratia adimpleri non potest, libertate contradictionis?

4. Admittere omnes quòd vires libertatis in hujusmodi gravioribus peccatoribus multum debilitentur, proinde quòd non gaudeant tam expeditâ libertate, quàm alii, qui continuis

14 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

nuis peccatis se gratiâ non reddiderunt indignos. An priventur omni gratiâ, dum hîc & nunc est agendum, consule saniores Theologos.

7. An peccent similes peccato formaliter novo, dum prævaricantur præceptum, cujus observantia modò obligat.

8. Aff. Constat ex Apost. ad Rom. 1. cùm dixerat Gentiles Philosophos, qui Deum cognoverant, sed non sicut Deum glorificaverant, evanuisse in cogitationibus suis, addit: *Obscuratum est cor insipiens eorum, ut mutaverint gloriam incorruptibilis DEI in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, ac propter hoc traditos à Deo in desideria cordis eorum, in immunditiam. . . . in passiones ignominie, in reprobum sensum, ut faciant ea, que non conveniunt, &c.* Postquam satis ostenderat vires libertatis in iis fractas, accusat tamen eos de novis peccatis, dicens: *Repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, plenos invidiâ &c.* Hunc locum tuba Apostolâ lib. de nat. & grat. cap. 22. ita exponit: *Nec cogitat (Pelagius) prævaricatorem legis quàm dignè deserat lux veritatis, quâ desertus utique fit cecus, & PLUS NECESSE EST, OFFENDAT. . . . An nulla pœna est eorum, de quibus dicit Apostolus, obscuratum est ipsipiens cor eorum? Et tamen per hanc pœnam, id est per cordis cecitatem, que fit deserente luce sapientie, IN PLURA ET GRAVIA collapsi sunt, &c.*

CA.